CANONES
CONGREGATIONIS
GENERALIS
VNDECIMÆ.

1 OBligatio expendendi in cauſas pias, iudicio Prouincialis, fructus bonorum, quorum dominiũ Scholaſtici Noſtri retinent, iuxta §. 6. Decr. 17. Congr. VII. nullum imponit Superiori grauamen in materia votoue Paupertatis, neque elidit valorem actuum, quibus ille de fructibus aliter diſponat, vel diſponi permittat; ſed reſpectu ſubditi retinentis dominium manet obligatio Paupertatis in ſuo vigore. Decr. 15.

Obligatio expendendi fructus bonorum.

2 DOnatio Scholaſtici facta Societati paulò ante mortem, vel vota vltima, poteſt admitti, ſeu rata haberi à Præpoſito Generali, etiamſi contingat illum priùs mori, vel vltima vota emittere, quàm donatio rata habeatur. Decr. 17.

Donatio Scholaſtici ante mortem.

3. §.1. QVi libros, libellos, vel folia (vt vocant) volantia abſque facultate Superiorum, ſiue proprio, ſiue alieno, ſiue etiam ſuppreſſo nomine ediderint, pœnis grauibus plectantur, putà priuatione officij, vocis item actiuæ & paſsiuæ, inhabilitate etiam ad Dignitates & Prælaturas Societatis, & denique pœnis corporalibus, pro grauitate delicti, Superioris arbitrio decernendis.

Imprimentes ſine licentia.

§.2. Præterea hæc ipſa pœnarum capita ad complices & conſcios, etiam Superiores, ea proportione extendantur, quà ipſi magis minuſue vel Scriptoris conſilia promouendo, vel eadem non reuelando, vel ex officio non impediendo, peccauerint.

§.3. Denique præſumptio fraudis contra illos ſtare cenſeatur, à quibus accepta ſcripta Externi vulgauerint. Decr. 18.

4 AD euitandam laxitatem nimiam in opinionibus Moralibus obſeruentur diligenter ſequentia.

§.1. Profeſſores Theologiæ Moralis in docendo publicè vel priuatim ſint valde cauti; neque quòd aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbitrentur illud in publicũ ſcripto verboue protrudere; ſed ad id attendant maximè quod monet Congr. V. Decr. 41. an communi Scholarum ſenſui congruat, ac preterea ſcandalum, vel offenſionem vſpiam parere poſsit. Superiores au-

Opiniones laxæ euitandæ.

autem ſi quos nouitatum amantes, aut parum cautos in docendo compererint, à munere docendi amoueant, ſpeque omni illius priuent; pœnis etiam alijs, ſi opus eſſe ſenſerint, coerceant.

§.2. In librorum editione oneratur Cẽſorum fides, vt ſeueros potiùs quàm molles ſe exhibeant, neque aliquid, etiam dubij ad Societatis famam periculi, ſine graui cenſura abire patiantur; & ſiquid tale occurrerit Patri Noſtro ſincerè & fideliter prodant.

§.3. In priuatis congreſsibus & reſponſis diligenter caueant Noſtri ne quid promant quod vulgari minimè vellent; numquam autem ſcripto reſpondeant, in rebus præſertim grauioribus, niſi conſulto & probante Superiore.

§.4. Texatur Elenchus ſententiarum in Morali periculoſarum, exquiſito priùs Prouinciarum ſenſu, de ijs, quæ apud ſingulas ſcandulum vel offenſionem parere poſſunt; & Romæ recognitus communicetur omnibus Prouincijs. Decr. 22.

5 DE examinibus Noſtrorũ in ſtudijs, vt certi aliquid, & ad explorandã Noſtrorum doctrinam conueniẽs ſtatuatur.

§.1. Examinentur ſpatio vnius horæ tum Metaphyſici iuxta Reg. 13. Præfecti Studior tum progreſſuri à 3. ad 4. annum in Theologia. *Examina Noſtrorum.*

§.2. In reliquis annis tam Philoſophię quàm Theologiæ media minimum hora ſubeatur examen;ſed ſiquæ Prouinciæ plus temporis ex longo vſu ei tribuere iam conſueuerint, illæ ſuam conſuetudinem retineant.

§.3. Examinis annui materia ſit ea omnis,quæ à Magiſtris toto anni currẽtis ſpatio tradita fuerit;exceptis ijs,quę ſub ipſum examinis tempus decurruntur,Præfecti Studiorum iudicio deſignandis, idque ſiue theſes adhibeantur ad examen ſiue non.

§.4. Qui ante ingreſſum in Societatem Philoſophiæ aliquid vel Theologiæ audiuerint, examinentur prout præſcribit Reg. 19. Prou. in Rat. Stud. niſi malint quod emenſi ſunt illorum ſtudiorum iter remetiri, quod vltrò poterit illis concedi,niſi Superior iuſtas ob cauſas cenſuerit negandũ.

§.5. Vt ad habendum Actum Theologicum Magnum vel Paruũ poſsit quis admoneri, requirantur tria clara, & minimè dubia Examinatorum ſuffragia, quæ illius capacitatem ad Actum cum ſatisfactione habendum ſpeciatim enuncient.

§.6. Si quis habiturus Actum Magnum ab argumentaturis Concluſionem impugnandam,vel Argumentum proponendum inquiſiuerit, is nulla habita ratione iudicij ex Actus ſucceſſu conſecuti, ad examen more aliorum pro profeſsione ſubeundum re-

reuocetur. Qui vero in Actu Paruo id fecerit, omni ſpe excidet Actus Magni; Cōplices porrò ſiue adminiſtri huiuſmodi dedecoris (ſiqui fuerint) pro ratione culpę à Superioribus puniātur. Demum Iudices oneratā ſciant conſcientiam ſuam, vt ſi aliquid fraudis interueniſſe cognouerint, quo de doctrina defendentis iudicium debeat non mediocriter variari, non ex ſolis reſponſis pręcisè, vel Actus ſucceſſu, iudicium ferant.

§.7. Ad hęc commendatum, vt de contrahēdo numero Actuum Theologicorū, & de compeſcēdis nimijs Magiſtrorū interlocutionibus, quibus difficilius ſæpè redditur iudicium dandum de doctrina defendentis, quoad eius fieri poterit ſatagatur. Decr.24.

6 QVi Doctoris gradu in celebri aliqua Vniuerſitate donati Societatē ingrediuntur, ſatis eſt ſi in præuio ad Profeſsionem examine mediocritatem excedāt, iuxta Decr.96. Cong. VII. cui per Decr.37. Cong. VIII. non eſt derogatum. Decr.14. *Doctores Theologiæ.*

7 DEcretum 18. Congr. V. vetans admiſsionem in Societatem perſonæ gaudentis iure Maioratus in Hiſpania, ſine facultate Præpoſiti Generalis, non propterea irritam, ſeu inualidam reddit admiſsionem. Decr.25. *Maioratus in Hiſpania.*

8 LIteræ quæ deinceps ſcribentur ad Electos pro Congregatione Generali, & horum reſponſa ad illas, à Superioribus

bus

bus inferioribus Generali non aperiantur, nec retineantur; id quod etiam extenditur ad literas inſcriptas Procuratoribus electis in Congregatione Prouinciali, & horum reſponſa ad eaſdem. Decr. 27.

Literæ ad electos in Congregatione Prouinciali.

9 QVi ex Europa in Indiam traijciunt, Virtute, Doctrina, alijſque de iure noſtro requiſitis ad Profeſsionem quatuor Votorum, præditi, expectare non debent ibi alios ad eam emittendam, quamuis antiquiores vocatione, ſi ſtudia nondum abſoluerunt; nec vſpiam antiquiores expectari debent à minus antiquis qui expedita habent omnia, ſi antiquiores vel ob ſtudia non abſoluta, vel ob defectum legitimæ ætatis, ſeu alterius requiſiti ex parte ipſorum, non ſint ad profitendum expediti. Decr. 31.

Promouendi ad Profeſſionem.

10 QVi in aliena Prouincia, & loco vbi non eſt domicilium Societatis diuerſantur, pertinent ad Rectorem vicinioris Collegij, & ad Prouincialem cui Rector ille ſubeſt. Decr. 32.

Diuerſantes in aliena Prouincia.

11 SI non abrogetur Decretum Innocétij X. de Congregationibus Nouennalibus, duæ tantum Congregationes Prouinciales habeantur pro hac vice intra decurſum Nouennij; ſcilicet vna in medio ad eligendum Procuratorem, & altera in fine ad electionem mittendorum ad Congregationem Generalem. Decr. 35.

Congregatio Prouincialis in medio Nouennij.

In-

Index eorum quæ continentur in Canonibus Congregationis Generalis XI.

Actus Theologicus.

AD *Actum Theologicum propugnandum requiruntur tria ſuffragia.C.5. §.5.* pag. 4.

Inquirentes *argumentum vel concluſionem ante Actum, puniendi. Ibid. §.6.* p.4.

Actuum *numerus moderandus. Ibid.§.7.* p.5.

Congregatio Prouincialis.

Congregationes *Prouinciales duæ tantum cogendæ in proximo nouennio ſi nõ abrogetur Breue Innocentij X. Can.11.* p. 6.

Doctores Theologiæ.

Doctores *Theologiæ ante ingreſſum,promoueri poſſunt ad Profeſſionem quatuor Votorum ſi excedant mediocritatem.Can.6.p.5.*

Examina.

Examinum *in ſtudijs tempus & materia. C.5.p.3.*

Examinandi *qui ante ingreſſum ſtuduerunt. Ibid. §.4.* p.4.

Libri.

Libros, *libellos, vel folia volantia imprimentes ſine licentia, & eorum complices puniendi.Can.3.* p.2.

Literæ.

Literæ *ad Electos pro Congregatione Generali vel Procuratorum, et horum ad alios, non aperiendæ. Can.8.* p.5.

Maioratus.

Admiſſio *gaudẽtis Maioratu ſine licentia Generalis non eſt irrita.Can.7. p.5.*

Opiniones Morales.

Opiniones *laxæ in re Morali vitandæ, & eorum Auctores coercẽdi.Cã.4.p.2.*

Nemo *in rebus grauioribus ſcripto reſpondeat, niſi probante Superiore. Ibid. §.3.* p.3.

Opinionum *periculoſarum Elẽchus texẽdus.Ibid.§.4.*

Pau-

Paupertas.

Obligatio *expendendi fructus bonorum quæ noſtri poſſident, iudicio Prouincialis, non oritur ex Voto Paupertatis. Can.*1. *p.*1.

Donatio *Scholaſtici facta Societati ante mortem poteſt admitti à Generali. Can.*2. *p.*1.

Profeſſio.

Habentes *requiſita omnia ad Profeſſionem non debent expectare antiquiores ſe in Religione, carẽtes aliquo requiſito ex parte ipſorum. Can.*9. *p.*6.

Prouincia.

Diuerſantes *in aliena Prouincia vbi non eſt Collegium, ſubſunt Superiori vicinioris domicilij. Can.* 10. *p.*6.

LAVS DEO.

ROMÆ Ex Typographia Vareſij. MDCLXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ad 147 1034